Venceslaus
...resnensis

Ravensis Soc. Jesu Collegii Capitolium
Leszczynianae gloriae.

CAPITOLIVM
LESZCZYNIANÆ GLORIÆ,
Dum
ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS,
REVERENDISSIMVS ANTISTES,
DOMINVS DOMINVS,
VENCESLAVS
COMES à LESZNO,
LESZCZYNSKI,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS,
Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusq;
PRINCEPS.

Supremam Pontificij Honoris Aram Arcemq; adiret,
ÆTERNITATI CONSECRATVM,
ET
Augustis Heroum ac Virtutum Imaginibus,
A Deuotißimo Suæ Celsitudini Rauensi Woluciano
SOCIETATIS IESV COLLEGIO,
EXORNATVM,
Eidemque Illustrißimo Principi,
Inter Solennes lætiora ominantis Poloniæ plausus,
RELIGIOSE PRÆSENTATVM.
Anno à Principe Pacis, M.DC.LIX.

CRACOVIÆ,
In Officina Typograph. Viduæ, & Heredum Francisci Cezary, S. R. M. Typographi.

9.

ES

D

L

AR

ILLV

Casibu
quam
ret.
Fortu
tiali
non ob
tum
rum,

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM
ET REVERENDISSIMVM DOMINVM

D. VENCESLAVM

COMITEM à LESZNO

LESZCZYNSKI,

ARCHIEPISCOPVM GNESNENSEM
LEGATVM NATVM
Regni Poloniæ Primatem
PRIMVMQVE PRINCIPEM

ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

CAPVT olim Romanis repertum in fundamentis, Æternitati Vrbis augurium dedit, iam tum promittentibus fatis in tantam assurrecturam Maiestatem; vt illam vel deposito non vno Regali, ad Regnatricis pedes capite, ipsis suis Casibus ad reuerentiam inclinatus, vel ruinâ ipsâ prostratus, tanquam Augustum Orbis Caput, Primamq́ Principem Orbis adoraret. Quæ nascentem Romanam, eandem & Vestram excepit Fortuna Gentem. In ipsis & hîc Senatoriæ Domûs ferro Martiali CAPVT *erutum fundamentis: hoc est, ingens Gloriæ non obuiâ Sorte inuentus, sed arduo nisu effossus Thesaurus, iam tum Illustrißimæ Domûs Omen erat;* CAPVT *pæne aliarum, ac fortißimum futuram Patriæ* CAPITOLIVM, *atq́*

Regni Primates, Primosque Principes, ac quot Posterorum Capita: tot numeraturam vel adoreas, vel Tiaras. Impallueramus nos, fateor, ad primum Purpuræ Tuæ aspectum, & tantæ audaciæ rei euocaueramus in vultum conscientiam, tenuitatis suæ testem, vbi PRINCIPIS *laudes, non nisi à Principe Eloquentia, tentandas esse conclusimus. Sed* TV, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, *cui humanissimus vel iacentia attollendi vsus, pridem transiit in naturam, toto Gentilitio* CAPITE, *fluctuanti Eloquentiæ annuisti, vt auderet; & audet iam. Quidni audeat? postquam inter metum, venerationemq́; media, Sapientissimum Gentis Vestræ consuluit* CAPVT. *Vnde tanquam ex Oraculo & officina Sapientiæ, non armata minùs, quàm aurata Sarmatiæ prodeunt Consilia; hinc & nostra feliciter enata Inuentio est. Nihil hîc loquimur, nisi quod Vestrum, verè* AVREVM CAPVT *inspirat. Admittes vel tanta in luce atratos, Gentilitio scilicet* CAPITI *Tuo concolores vmbras, quæ, latentes etiam, Serenioribus Principis Mitræ radiis illustrari possunt. Et dum inpridem erecto, architectante Sapientiâ Vestrâ, Gloriæ Vestræ* CAPITOLIO, TVAS *in* TVORVM, TVORVMQVE, *in* TVIS *Imagines meritorum, Virtutumque leges, in felicissimum Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ Clientum transcribes numerum, Tuo Illustrissimo Nomini,*

Æternùm deuotam

Collegij Wołuciani

SOCIETATEM IESV.

CAPITOLIVM LESZCZYNIANÆ GLORIÆ.

HOc demùm eſt, CASIMIRE REGVM POTENTISSIME, PATREM eſſe PATRIÆ, tot viua illi attollere Propugnacula; quot ſublimia in ſublime prouehuntur CAPITA. hoc eſt, Regiam cælo proximè admouere Felicitatem, proximè Regio emeritas Virtutes Solio admouere. Nunquam Vos Terrarum Numina vicarias auguſtiùs Dei vices impletis: quàm dum ſimiles Vobis procreatis. Non inuidet ſuam mortalibus Fortunam illa Maieſtas immortalis, ac tantùm cum illis partitur ſua; quantùm humanorum capax menſura votorum eſt. Tunc Tibi Clienti poplite, vt benefico ſuo Numini, iure decreſcit Polonia, dum Tibi quàm ſimillimos eminere iubes, quiq́ue Te Vno minores, Maiores ſint, etiam ijs, qui Maximi ſunt. Vni Regiæ Liberalitati acceptos refert Sarmatia, fecunda Heroum Genitrix, quoſcunq́ue vel in ſago, vel in toga magnos numerat. Nunquam vel belli fulmina, vel ſplendores micarent palatij, niſi à Serenitate Tua accenderentur. Nimirum, nec cruento deſacrata Gradiuo Caſtra, nec Regia Pacis, Curia, vel manu

ſtrenuos, vel conſilijs fortes viderent, ſi præeuntia merita præmium non ſequatur; Si Sola ſibi Virtus pretium ſit, ſola ex conſcientia merces. Deſint dignitates, propè deerunt, qui digna faciant. Affringere palmas, Vota Principum ſunt? ab explicatis in ſubditos eas præſtolentur palmis, ſuorumque priùs patientiâ magìs, quàm potentiâ, & dulci benefactorum tormento, aut flectant animos, aut frangant, detriumphent affectus. Erunt graues illæ hoſti dexteræ, quæ ab auro pondus acceperint. Quòd ſi plùs ab hoſtibus plumbi, quàm à Regno argenti miles capiat, quis plumbo venale mortibus offerat Caput? quis obuio ferro, licèt Martis hoſpitium, pectus opponat? Paruo equidem venditur Heroum anima, ſi vel ingenti auri cumulo, immò montibus aureis rependatur. Cruentis, ſi neceſſum habeat eſſe contentus Miles manubijs, næ ille, à ſuis citiùs, more hoſtili ſternens omnia, raptas oſtentabit exuuias, & focis antè direptis Patrijs, tum demùm incaleſcet in hoſtem. Illi ante alios, altiores conſcendant ſellas, qui bellatorem equum, dum vocaret tuba, conſcenderunt alacriùs. Illis Aula faueat, qui tot patentes ad Gloriam, in ſectis vultibus, tot diſertos pro Domo ſua Oratores; quot exarata hoſtili ferro vulnera, & memores adhuc belli cicatrices, oſtendunt. Illis conſignentur Priuilegia, vel fuſo ſanguine, qui ductis palmaribus hoſtiles per genas lineis, Regale in Æternitatis Faſtos Nomen induxerunt. Illis maximè Honores prehendant manibus,

nibus, quas reliquerunt in Caſtris deciſas: ante-ambulonum fulciantur Scipionibus illi, quos Sci-piones Patriæ Campus vidit. Illi ad capiendos Honores anteeant omnibus, qui ex vulnere in prælio accepto claudicant. Ij demum ſedeant in Curia Primi, qui vltimi, aſperſo ex cædibus cam-po capitibuſque conſito barbaris: hoc eſt, á pul-cherrima Famæ ſegete, onuſti victorijs redierunt. Olim iam argenteis tubis vel Dominus Exercitu-ūm accendere Martem iuſſerat. Nempè ad con-centum argenti, alacer in hoſtem exilit Miles. tinniunt æra? videbit mox Campus Martius *Cho-ros Caſtrorum*: adeoq́ue ARCA præduce, vel ſine Duce, vel ante Duces, *Ibit in aduerſos*, gene-roſius Miles. ibit? volabit immò, non ex vano, quadrupedantibus alas affingens; poſtquam He-roibus ipſis, Patriæ Amor addidit alas. Quid in Curia? niſi ſpes Honoris affulgeat, aurea & hîc ingenia vix fulgebunt: nec multi pro Libertate, pro Gloria, pro Aris, & Focis Patriæ, doctum cala-mum animosè ſtringent; niſi ſubſcribendos Rega-li manu, ſibi olim Titulos, niſi vel pulchrioribus ſe ornandos coloribus, vel altiùs illis ipſis, quas Patriæ aptant, pennis, ſubuolaturos confidant. Ita vnica ferè ingeniorum Nutrix Dignitas eſt; Honorq́ue, niſi Artes & Martem alat, & Mars & Artes iacebunt. Itaque Sapientiamné hîc ego pri-us, an Liberalitatem Tuam venerer Liberaliſsi-me REGVM, REGVM Sapientiſſime CASIMI-RE, qui eos Honoribus ornas maximè à quibus

 maxi-

maximè ornatur Patria? Nec ſcio, fortunatiusné Gloriæ TVÆ militat, quòd Nouos Homines Luci, & Orbi oſtendas; an quòd nouis Titulis decoras antiqua Nomina, quibus nec Virtus deeſt antiqua, quibuſuè meruiſſe præmia, præmium eſt; nec mercedem præclarè actorum requirunt aliam, quàm egiſſe præclarè. Habeat pondus apud PRINCIPEM VOX SANGVINIS, qui pro dignis ſe poſteris, & in quibus ignauo nec dum eſt ſenio corruptus, perorat. Tales ſe, REGVM MAXIME, Maiores Tui Magnis LESZCZYNIANI Sanguinis exhibuêre Maioribus: Talem TE non minor illis, illorum, non minoribus præſtas Poſteris; pro quibus hinc mites Oleæ, hinc forti dexterâ præciſæ Laurûs, Caſtra inde, inde Forum declamat. Hi eſtis, Illuſtriſſimi LESZCZYNII quibus non Honor in pretio, ſed in Honore Virtus eſt: nec Vmbras à Sole iſto profectas prenſatis, ſed vos in totidem Regni Soles effingitis: *Non Magni Nominis Vmbram*, ſed magnam lucem ancillatrix Gloriæ Veſtræ, ipſas Vobis ad Cunas Fortuna defert. Satìs Vobis eſt, dicam ſemel, quod LESZCZYNIVS ſanguis eſtis: iam niſi ad graues victorijs Clauas, ad interpretes Regiæ Mentis calamos, ad Ærarij Claues, ad ſuprema Tiararum faſtigia creſcere non poteſtis. Vbi meta alijs, Gradus Vobis: nec iter ad Honores aliud, niſi per ipſos. Atque, vt alij ad triſtiores tenebras ſolo originis vitio damnati, ſi Lucem aliquando, poſt tot Cleanthis lucernas: poſt tot Mineruæ, (quales Vlyſſi præ-

tule-

tulerat) lychnos aureos: post exusta à calenti pectore incensis flammis, Castra hostilia, sic demùm illustrati publicam prorepunt in lucem, ægrè suam capiendo, nuper nati Homines felicitatem, pæneque vix credunt se quanti sunt, tantos iam esse. Vobis vel ipsæ auitæ Ceræ ad accendendam Gloriam, ad illustrandos Titulos, ad publicam in facie Regni lucem abundè suffecerint. I nunc quisquis, quia miser es, miserum esse *Alienæ incumbere Famæ* contendis, illudque vnum gloriosum iactas; *Ex se cæpisse*: & fontem potiùs generosi Sanguinis, quàm riuum ferri. Hoc nempè est alienæ inuidere felicitati: hoc adoratam Maiorum admordere Virtutem, ac pessimè de his mereri, quos optimè de patria meritos, Orbis colit, Posteritas miratur, Patria grata adorat. An verò illæ magnæ Animæ, illa venalia posthumæ Famæ pectora, ideò in nudos prouolabant enses, lacessebant pericula, vt nullus progigneretur suis vltor ex ossibus, qui *se bene prosperis excusaret armis*, vt non sanguinis sui purpurâ Posteros adornaret suos; in quos, eadem, cum sanguine animoque viâ, felicitas enataret? hæc illis iam è vita abeuntibus vota: hoc totis vulneribus, tanquam totidem reserando ora anhelabant, ILLVSTRISSIMI LESZCZYNII: ideo illi inter homines esse desinebant; Nepotes vt sui aliquid augustiùs inter Homines essent: ideò pedes ipsos, indecorem dedignati fugam, hostibus immortui, Martiali reliquêre in arena; vt his ipsis pedibus, sacrata relegendo

 gendo

fulgurat Mauors! quot humanos Ioues aureo imbre prodigos! quot Lunas Regis Solis Vicarias, plena in luce ſtupore defixus veneror! Iubeſné, hîc ILLVSTRISSIME PRINCEPS, euocem è Fatorum nocte ad Splendoris Tui Diem, Splendidiſſima TVORVM Nomina, & ſcintillantes Suæ luce Gloriæ in funere ipſo vmbras? Sed olim iam has Karnkouiani excuſſus Helicon pede AGNI, diuinum quid ſonante Mercurij Citharâ glorioſum Magni Prædeceſſoris Tui excitauerat in triumphum. Quieſcite ô Sancti Cineres! non Vos ego grandiori animabo tubâ Martis; ſed lenioribus ſiſtris ad æmulam VESTRI imitationem Poloniam admonebo.

Aureos Lechi reuocate mores,
Aureos & iam reuocaſtis annos:
Quâ prait Virtus; famularis vrget
Copia greſſus.
Hinc pharetrata radient Caterua,
Fulminum hinc celſa ſonitu aneorum
Intremant Arces, ager inde ſtrictis
Fulguret haſtis.
Si Pios audax Superos rapinis
Prouocat Miles, neq; pœna fractas
Vindicat Leges, ſcelerumq; turma
Caſtra ſequuntur;
Torquet aduerſo malè tela Cœlo.
Pura mens fortes creat: at Leones
Vertit in Ceruos Scelus, & tuis te
Immolat armis.

Impro-

Improbi centum fugient vel vnum:
Æquus in centum bene pugnat vnus:
Pectus huic thorax tegiturq́ frontem
Casside, cælo.
Orbis euersi impauidus ruinam
Victor assurgit super, atq́ mortes
Ense terrebit, Patriamq́ ab ipsa
Eruet vrna.
Arduum surgens adamante murus
Repat in cælum, mediumq́ turres
Inferant Stellis Caput, obseratis
Vndiq́ valuis;
F. *triplex Vrbem capit, & beatas*
Fraus, Fames, Ferrum, *populatur Arces:*
Si simul clausis habitat nocens -
- Discordia portis;
Lite si feruent Fora, si Lyæo
Hic sua assurgunt Paphiæque Templa,
Nec profanatis noua dedicamus
Pergama Diuis:
Si Foro Virtus stetit in scelesto
Ipsa Venalis, cecidistis Vrbes:
Turris in muros ruet, alta pinget
Mænia Sanguis.
Pectorum fortis ruitura nexus
Regna tutatur, meliusq́ nudus
Protegit Gentes Amor, & labantes
Sospitat Vrbes.
Non egent Scuto bene fæderatæ
Ciuium mentes: sociata murum
Corda supplebunt, neq́ firmiores
Ars dabit Arces.

Si tenax clausum manus abdit aurum,
Si Pyropeas premit vrna cistas;
Aêra cum Martis fragor, & latentes
Increpat arcas:
Publicas cum Res cecidisse coget
Ira mucronum, simul & Penates
Aequa priuatos subito ruina
Funere merget.
Frangat auratos generosus Orbes
Ardor in Pacis pretium: reposcit
Tota Pactoli vada? tota currant
Flumina Paci.
Fictili tutam meliùs Salutem
Haur am Vitro. procul ite gemmæ;
Dulcè cui ferrum; bibat ex redemptis
Sanguine gemmis.
Sed, veto, Sacras prius ausit Aras
Dextra votiuis spoliare donis,
Congi ingentes rigido liquescant
Ante Gradiuo;
Tunc propinabunt Patriæ Salutem:
Tunc & aduersis sua Fata turmis
In Characteres globus ibit auro
Ritè refusus
Ibit argento. bene nundinamur
Hostium clades, licèt aurearum
Glandium damno: bene fracta Pacem
Pocula fundent.
Quin & affictо pretiosa fuco
Atq; Hydaspeis radiosa conchis
(Pollui tabo metuunt venusta)
Arma liquemus.

Quæ

Quæ ego breui paginæ, pridem hæc magna illa Domûs Veſtræ Decora auro inſcripſerant poſtibus laureatis. illorum Valuis veriùs inciderit memor Patria, quod aliquis melleo Apum hoſpitio: *Priuati nil habet iſta Domùs:* Publicæ illi laborabant, non ſuæ Fortunæ: nulla auri & pretioſioris auro Sanguinis parſimonia. Procul exempti ab illis, qui vel in ruderibus euerſæ Patriæ Domum velint fundare ſuam; apud quos priuatæ rei Studioſos nomen amiſit Reſpublica. Illi ſplendidè obſcuros ſe credidiſſent, ſi Fortunæ ſuæ luce ſe tantùm & ſuos, non & Imperium illuſtrâſſent. Vt mihi hîc latè receſsêre Oleis lauruque coronata CAPITOLII Gloriæ Veſtræ Atria! vt totâ Maieſtate radiant diui Honoris Sacraria! O quàm lætos, per tot, cultum omnem ac reuerentiam promeritas Tuorũ imagines circũfero oculos, PRINCEPS Illuſtriſſime! quibus hîc Primò tributariâ veneratione decreſcat facundia? Palatiniſnè? qui quidquid infauſtus olim Palatinorum Zodiacus monſtrorum Polono orbi oſtenderat, dum quæ plures tenebãt, pæne Sceptra frangerent, abundè pensârunt. An Caſtellanis? non fruſtra hoc nomẽ meriti, quos opũ diuites publica eſt experta ſemper neceſſitas: virtutibus etiam opulentiores, ideoque verè Dominos, tota vidit Sarmatia. An Arcium Præfectis? ſublimior ipſis Arcibus iſtorum Animus cælo propè admotus. Sed enim mihi ante alios Magni REGVM Ante ambulones dicendi libertatem annuunt? Eſto alibi alij ſint, *Primi exi-*

tio ſæpe ſequentibus; hi ſaluti: geſtent alibi ita Virgas alij; vt degenerent in Colubros, vel Matri Patriæ viperarum in morem virus propinaturos, dum in Virgis illis priuata tantùm ſua *Domus inclinata recumbit*: è Veſtrorum Caduceis præſentiſſima ſemper emanauit Regno laboranti theriaca. Quanquam graues meritis, non toto tamen pondere Virgis illis incubuerunt; vt non magìs ſuis meritis Patriam, quàm inſignia merita Inſignibus iſtis fulcirent. Quanti eſtis! quos nec Regibus pudor ſit præeuntes ſequi, ſubmouendo obſtantia omnia Maieſtati. quâ dexteritate ad ſubditorum etiam Cordis Arcem iter PRINCIPI, eâdem & Vobis ad Nominum faſtigia aditus aperitis. Quàm alto eſtis animo, qui inſolentiorem, ſi efferre ſe aliquãdo auderet, Virgâ illâ caſtigare dicendi licentiam auderetis. Quidni Vocem diſpenſetis, quibus ita altum, ita ex Mundi libro, ex magiſtræ experientiæ diſciplina eruditum CAPVT, quibus eſt *Conſilium Domi*? Quidni Vota dirigatis, quibus Regni incolumitas Vnicum Votum eſt? Quanquam apud nos adimere poſſe vocem cuipiam, quàm dare poſſe, prodigioſius: vbi tot liberæ voces, quot nati Liberi: tot noui Tullij, immò vel Senecæ, vel noui Taciti; quot Curia linguas audit. At verò Vos non ſemel elinguem Curiam, Veſtriſque toto annuentem capite rationum momẽtis, & non niſi in laudes Veſtras Vocalem feciſtis, cùm ſentẽtijs Veſtris vel à ſola auctoritate Veſtra, & exemplo defenſis ſatìs de robore eſſet proſpectum.

ctum. Proſpectum anné hîc meum? an totos Magni SVCCAMERARII in Vos conuertitis oculos? qui ipſius Nobilium fortunæ Metatores eſtis. Magni menſuram Nominis nunquam magìs impletis; quàm cum ſine menſura affectus bene de Vobis meritis refunditis, cùm Veſtris Metam virtutibus nullam ponitis. Nullo magìs vos argumento cœleſtes eſſe probare poteſtis, quàm quòd in finibus terræ verſamini. ita finitimi cælo; vt Virtus Veſtra, nullo vnquam vitiorum confinio lædatur. Vos ego Fortunæ aut Os, aut Manus dixerim, quia, quid hæc datum alijs, quid ablatum velit, Veſtro Ore pronunciat, Manibus Veſtris partitur. Dicam ſemel omnia, LESZCZYNII, pæne aut PRINCIPES, aut Nobilitatis Principes ſunt. Vos hîc Saluto Pretioſi Regno THESAVRARII, aureâ nunc ſi quando Eloquentiâ, argenteo torrente facundiæ mihi opus eſſe ſentio, vbi Vos nominaui, è quorum manibus ipſa omnium benefactrix Patria Opem, an Opes? præſtolatur. niſi quòd vtrumque ita impenditis; vt Vos Soli verè aureos montes polliceri, immò & præſtare poſſitis. quàm cari Regno eſtis, quos toto ſibi deuincire auro ambit. Bene Theſaurus Vobis creditur, quos cariſſimum Regni Theſaurum raræ Veſtræ fecêre Virtutes. Omne iam pridem Ærarium perdidiſſet Patria, niſi Vos ſeruaretis: niſi Gentilitij Veſtri Leonis excubijs ac Gladio muniretur. Et cui æquiùs Neruus belli, quàm bellatoribus traderetur? ac quibus, aurum auro, aurea

nempe addere merita princeps cura eſt. Quidni & Regina Pecunia Veſtræ fidei concrederetur? quorum Sanguis Sceptra etiam Regia in magno Vice Rege Predislao tractauit, dum Regina ſola pares illis afferre non potuit manus. O infractum vel Atlantem Poloniæ, vel Herculem! cuius humeris tota Regni moles ſederat feliciter, caſura ſi in alium incidiſſet. Nempe illi Caput ipſum aureum Coronæ, aurea dextra Sceptri vicem tam pulchrè impleuerat; quàm ille vices Regias. Quid hîc iam dicam, immò quid non dicam de Sapientiſſimis Regum ſapientiæ interpretibus CANCELLARIIS? quis hîc mihi Deus, vel illi vni nuper extincto Prædeceſſori TVO Principi, ante Cancellario Eloquentiam prædicando parem? eius vocem ita quondam in Senatu Vocalem, totâ vt audiretur Poloniâ, *Pingere nemo poteſt*. Licèt vel in auro Aureus, vel Candidus in argento, vel inuictus in marmore, noſtris iterum reddatur aſpectibus, Illuſtriſſimus ſui Nominis Vir, ANDREAS: licèt illud pectus, quod altior Sapientia inhabitabat: frontem illam Maieſtatis domicilium, indicē illum animi & generoſarum teſtem cogitationum atque interpretem vultum: manus illas Poloniæ iuuandæ pares, viuis iterum Ars excitet coloribus; Vocem illam amicam Regno, formidabilem barbaris, nemo poteſt pingere: nemo exprimere, niſi, TV, PRINCEPS Illuſtriſſime, qui ſuccedis. Ita Vos ambit Diuus Honor, quaſi dedignaretur alios ſe transferre ad Penates; quando ſibi tantùm

lucis

lucis à Luce Vestra sentit adiectum. Et, vbi, tot meritorum quàm gemmarum pondere grauior Mitra resideat, aut quid potiùs quàm emeritum CAPVT coronet? Atq; alijs plerumq; alibi lingua adest felicior; at non & caput: Caput alijs, sed non & lingua: nec pari felicitate, quæ eloquãtur, inuenire possunt, & eloqui, quæ inuenerint. Tonant eloquio, ac fulgurant, & miscent Curiam, sed quia rationum absunt pondera, euanida illa fulmina vix aures feriunt. VOBIS vel ex armamentario auiti CAPITIS paratum rationum robur. Atque, vt alibi non vnum censet Regia, qui *Tenet occiditq; loquendo*: ita Vobis dicentibus, timet Curia, ne desinatis. scilicet in dicendo etiam nobilitatem Vestram præferre videmini. Nec verò demiror, quòd Vestro CAPITE Ciuium pectora expugnetis, quando hunc ipsum arietem, & hostilibus dum admouetis Arcibus, CAPITE muros penetratis. Sed verò, ornato vtcunq; á me Vestro Capite, an Vestras victorijs Manus graues præteribo inornatas? præteribo sexcẽtos, qui vel in ossibus vel in dirutis hostiũ mænibus ære perenniora sibi ferro Martio inscripsêre elogia? Vnus, Tu, RAPHAEL, Heroum fortissime, manus inijcis properanti licèt, ad PRINCIPIS laudes Eloquentiæ, qui ex equo simul & altiori Regalis fastu animi, felici hastiludio Regius Legatus deiecisti Matthiam Hungarorum. Quantus es, qui vel hoste meritus censore probari, stratum ad Tuos pedes despexisti Regem! quàm pulchrè hasta illa

Tua Annulum induit Æternitatis! quanta egit dilecta illa Gradiuo dextera, cùm seriò egit, si tanta peregit, vel in Scena! Admonuit iam tunc, credo, Pannoniam, caueret; se, & Pannicos metus inferre Sarmatis, quibus vel Pannonum Regem ex equo deturbare lusus fuerit. Iam tum, nuperis mihi prælusisse visus est triumphis, ac recentes victorias nobilior Archimedes hastæ acumine illa delineâsse in arena. At immemores fastorum Pannones inuitantis torrente fortunæ, (vt ferè secũda sunt improbæ felicitatis principia) temulenti, saltatorio planè Poloniæ in viscera ibant orbe, fumo Polonum obscuraturi Nomen, antiquos celaturi triumphos. Nempe non suis innixi, sed tot similium sui succincti viribus, quibus Polonum haurire sanguinem, vino omni dulcior esset voluptas. *Si quis es, insultes, qui Casibus, improbe, nostris,* effer tantisper Diogenis è dolio indoctum caput, & in Solem progredere, desines Polonam vulnerare Famam. Politica si in luce consistas, illustraberis; non illud cuipiam in orbe stupori esse debere, quòd aliquâ sui parte, sed quòd, non tota corruerit Lechia, & victrix adhuc efferat è clade caput. nimirum cùm multùm intersit, concurrãt, an succedant bella, & infortunia; nobis totâ mole incubuêre hostes, qui vel singuli atque diuisi, Regnis singulis, immò vnitis etiam oppugnandis pares essent. Nam, vt Vulturem Borealem, Regni cadaueri inhiantem in auia interim ablegemus nemora, Sueci ipsi illi sunt, quos alijs

Opi-

Opimus
Fallere, & effugere est triumphus:
& Victores se putant, si non vincantur: ad omnes belli iniurias ab ipso natiuo cælo, soloq; durati. Vt verò ingentes illi tollunt animos, nempe Aêoliæ finitimi, ventorũ patriæ. iam quæ humanitas illis? vel humi repentes casas & iacentia Colonorum inuisêre tuguria. quæ pietas? quæ Religio? Aras etiam secum auexerunt. quàm bellicum viris ingenium? dum ab illis aliò ostentantur arma, aliò inferuntur. quis mortis vitæque contemptus? (laudandi enim mihi sunt animosi hostes, quos vincendos nobis Fortuna obiecit.) Pauci erant, qui de spe malebant cadere, quàm de Arce: plures, qui vt speciosum Protectorum Poloniæ sibi tutarentur nomen, vel cadaueribus illam protecturi procubuerunt. Ita certè, nunc etiam Poloniam iacentes tenent, & toto stringunt amplexu. quæ vincendi confidentia? ad Reginam etiam Vrbem, Orbis Caput, spes protendebant. Sed opposuit nimirum Sanctissimus Custos Montium, vsq; adeò altis spiritibus, altiorem Pietatis Montem, atque exaggerata sua vsque ad cælum attollens merita, simul Romanas, simul Polonas, vel in distans agens, immò vbique præsens, Sacratior illa orbis anima, cælestibus Aquilas texit gratijs, cælo conterminus ALEXANDER. Gratias Fortunæ habemus, quæ nos in castris, quàm in delicijs esse maluit ipsâ infelicitate felices futuros. Altiùs enim fortasse in sinu pacis, & sub vmbra oleæ inter blan-

dientes Fauonios dormire cæperamus, excitandi fuimus, hinc rugitu Leonis, hinc Moſchouitici clangore Alitis, inde Hungaricarum ſonitu framearum. Magnum par, & cæli dignum oculis ſteterat, Polonus cum tam potenter aduerſa ſibi Fortuna confligens: nec tot ſtrictis contra ſe armis, arma ſubmittens. tunc antiperiſtaſis illa vires noſtras intendit: tunc ſe Orbi alendo æqualem vidit Sarmatia, cum tot vndiq; nationes, quaſi ad commune orbis horreum, ad metendas gladio fruges conuolâſſent: tunc opulentiam maximè agnouit ſuam, cum amiſit; quando poſt tot ſpolijs veſtitas ſuis gentes, non minùs tamen ornata incedit, tunc robur, pectus, manum orbi probauit, cum vna tot contra ſtaret, Gelonis pæne ſolis pacatam nobis in iridem arcus flectentibus. Quòd ſi qui minorum gentium ſiluis ſe potiùs texêre, quàm galeis, his etiam arbores aſſurrexiſſe in trophæa, crede poſteritas. inter robora verſati, robur ſic etiam, Regno ferebant, neque inter glandes, à glandibus remoti plumbeis, non auſu, quàm fortunâ maiori, erumpendo è latebris, abductos in nemora hoſtes, ſuo dolori, Famæ Polonæ immolabant, & inter feras, tam feros homines iugulabãt. Ad CAPVT tum maximè Veſtrum Illuſtriſſime PRINCEPS, veſtra & Conſilia reſpexit Patria. didicit nimirũ vel hoſtili ſub ferula, ab ipſius exemplo hoſtis, non manibus feliciùs bella peragi, quàm capitibus, & ingenij acie quàm gladij. Iam & à fecunda, quia bicipiti Romana Aquila exquirere conſilium

Re-

Regno placuit, & cum in acie nouaculæ res nostræ essent, augere milite vicino acies. Viuat vincatq; diu Inuictissimus IMPERATOR, qui protegendæ Poloniæ Alas Aquilasque explicauit suas. At Tu similia præstolare à Sarmatis Germania, si similis, socia arma (quod auertite Superi) appellauerit necessitas. Verumenimuerò necquidquam vel auxiliaribus armis, nisi & Aris defendũtur Regna, certiusque à sublatis ad cælum palmis, quàm ab ense clauaque armatis vel triumphalis palma, vel oliua mitior exspectari potest. Cum plerique arcium inter casus, caderent animo, Tui, Illustrissime PRINCEPS impauidi, vel si fractus illabatur Orbis, Arcem pectoris, nec publicus ille motus, nec fuga commouit. auditus fragor & labantium ruina Vrbium non nisi TE in genua deiecit. Cecidisti ad Aras, vt starent illæ: corruisti coronata Sanctioribus vittis Victima, ne rueret, secundùm cælum dilecta Lechia. globis igneis fortiores, lacrymarum per ora volutarum globos, rotabas in hostem. vt multos iratum mare, vt plures Vandalicum flumen, plurimos LVBOMIRSCIANI non segniter decurrentis ad gloriã, FLVMINIS, profundum hauserit; at plurimorum in hoc ego paruo freto, in pijssimis Tuis, cælo teste, affusis lacrymis, contemplor naufragia. Quot verò manipulos centuriasti in hostem, cum tot egenorum centurias sustentasti: tot copias submisisti Patriæ; quot alienâ misericodiâ viuentes, velut stipendiarios cælo milites aluisti. Facilè erat triũphare hostes,

 post-

postquam iram Diuorum tot miserorum vocibus expugnasti. Tum iam qui tot mala in nos sparserat, aureum suum Malum perdiderat pæne Hūgarus; vnde velut è Fenellæ Pomo fatalia eruperāt in nos iacula. Si quod planè in Bellaria iam fauentior nobis proiecerat POMVM Fortuna, Polonus capere voluisset Bellator, potuit; vt terni olim in Polonia fratres, simul feliciter strictis mucronibus iactatum supernè pomum, pari exceperant dexteritate. Hîc si mihi Fatorum Fastos, fas sit consulere, vt vereor, ne non ideo ex turbida illa Lyæi Patria infuderit se Regno tempestas, quod plerique Baccho magìs, quàm Marti litarent Poloni, & in libera Gente Libero Patri plùs liceret. O quantùm confuderant animos, cum è Sede sua tot Capita dimouerent infaustæ vineæ! sed expergefacta suis damnis Lechia, non, è Politicorū lege, hosti fugienti, aureos substernebat pontes; sed instare fugientibus & cedentes cadentesque cædere, tanti erat. Carpathiæ rubuêre niues, cruore Pannonum, cùm non in vitam minùs illorum, quàm in Vites, ferro vindice sæuitū esset. Augur ego, palmarum apud vos laurorumque fertilior exurget messis, Poloni, quando in vitibus, vitijs agnatis, hebetare mucronem placuit. Iam tum ego vobis, amiciorem promitto Gradiuum, postquam bellum Baccho inferre cæpistis, magìs sobrius iam, inter suas vites Hungarus, magìs sobria & Vobis dehinc, excisis vineis, nascentur consilia. nulli nisi genere indecores, & è fæce populi, ex-

haustas

hauſtas ſibi opes, exhauſto penſabant mero. generoſior Heros, ſanguinem ardentius ſitiebat. Serò illum audaciæ pænituit ſuæ, quiſquis Regnum rapere maluerat quàm exſpectare. tunc, & Leoni, qui vel rapaci ex vngue Leonem ſe probauit Poloniæ, erat qui accineret fugienti;

Ipſe Leo, damâ, Ceruoq; fugacior ibat.

Cogitaſſent vtinam hoſtes noſtri! nihil felicibus cogitandum anxiùs, quam quòd poſſint eſſe infelices: nihil magìs timendum Victori, quàm quòd non timet. Nihil frequentiùs, quàm è Victoribus Victos, è Victis, Victores fieri; grauioresq; plerũque ab ipſa Victoria, quàm à cladibus clades eſſe. Nempe quos Victoria glorioſos, eoſdem malè ſecuros, mox & facit inglorios: nec tam facilè vlli ſurculus inſeritur arbori, quàm Lauro cupreſſus, nec vllibi magìs variantur quàm Orbis in theatro fatis auctoribus Scenæ. Quanquam, quid nos accuſamus Fata, cum facta debemus? fruſtra damnamus tempora, quæ ipſi facimus. Eadem certè ætas & Herculem & monſtra parit: eodemq; ſeculo leones & cerui viuunt. ferreos ſatìs, nunc nobis dura prouiderant Fata Annos, Polonis; ſed Polona Virtus, ferro Martio, ferrea refinxit in aurum tempora. Ergo tua mihi, ſimul aurea, ſimul ferrea concede, Phæbe, iacula. aureorum, aurea meorum eſto Virtus Polonorum, ferreis, Scopum deſigno nullum. quare iraſci mihi, vnus ille poterit, qui ſuam Orbi ignauiam voluerit confiteri.

Ergonè tantum nata prioribus
Exempla Seclis? & Mareoticas
Cladesq́ calcatasq́ Lunas,
Et veteris simulacra pompæ,
Et decolores sanguine barbaro
Errasse Lymphas, Historici graues,
Narretis ad focum Nepotes;
Dum tremulos fouet ignis artus?
Fædum! maritas cum galeæ interim
Iungunt columbas, inq́ tremens veru
Recusus, infami coquinæ,
Prælia post, famulatur ensis.
Quòd si resurgant magnanimi Patres,
(Tumbas iacentûm namq́ citant tubæ)
Non tela noscent Posterorum,
Non animos similesq́ vultus.
In fusa, pulchræ belligerantium
Iuistis hastæ. palla tegit Virum:
Quæras, puellares, Achillem
Inter acus, nimiosq́ florum
Inter quasillos, & Specula, & Choros
Inter; facetos tinnula prouocant
Dum sistra Conuiuas, lyrisq́
Mollibus insonuêre tecta.
Non militaris buccina, Martios
Accendit ausus; non litui Viros;
Imbelle sed Cornu, latentes
Terret apros, pauidasq́ damas.
Quin & profundas cingitis arbores
Frustra, hinc Melampis, retibus hinc: fugâ
Ducente, palantes per antra,
Inde feras pepulistis omnes,
Campisq́ Vobis cedere cum pauor
Metusq́ suasit, nunc leporum cohors,
Toto audet emicare campo:
Nec metuit lituorum acutum
Vulpes fragorem: prodit inertibus
Et ceruus antris, cornibus annuit
Proditq́ Victori, trementes,
Se quibus occuluêre siluis.

Euer-

Euertit, altum quicquid ad æthera
Reptabat olim, Spiritus æmulo
Incensus æstro, publicæ vix
Vmbra Rei, sua res cuiq;
Priuata cordi vel miserabili
Regni sepulcro, penè velit, domum
Fundare Ciuis, & ruinis
In Patriæ supereminere
At iustus æther subruit omnia,
Cum stare quisquis celsior appetit:
Cum singulis regnare votum;
Imperium patiuntur omnes.
Frenumq; mordent. dissimiles Auis
Quæcunq; gignunt Regna, cadent: labat
Moles triumphorum, & vetustæ
Alta ruent monumenta Famæ.
At non & audax Sarmata deseris
Virtute Patres, addis adoreis
Tuas auitis, & paternos
Exuuiis decoras triumphos.
Iure, & Canino nomine fertilem,
Victoriosis qui Virides Lechis
Surrexit in palmas, & alto ex
Ossibus intumuit trophæo,
Campum citatis. nam neq; Vos merum
Et plena tantùm Cæcuba funditis;
Hostile sed tabum, salute
Pro Patriæ. neq; Varma frustra
Narratur enses sanguine Thracio
Fleuisse pictos, cum neq; vos domi
Carchesiorum longa cingit
Obsidio, vitreiq; muri.
Quin & Lokietko Sarmatia inclytam
Metiro Famam, tendit in ardua
Non erubescendus Nepotum
Nunc etiam, similisq; Patri
Se tollit ardor. iure Othomanicæ
Regum Sepulcris Cynthia palluit
Vicina ad vmbras; signa iure
Totq; Aquilæ micuêre raptæ.

Iurè

Iurè, & Leones sculpimus Orbibus,
Ipsi Leones fortibus editi,
Pares Auorum: sculptus auro
Iure volat, phialisq; plenis
Inscriptus Ales. Sarmatica, in globos,
In tela, & enses posteritas volat;
Taboq;, cædibusq; pictas
Explicuit generosus alas;
Iam pæne pennis qui ruerat suis
Polonus Ales: non Alemannica
Quem tela deiecisse cælo,
Non Getici potuêre nerui:
Hunc destinârat sanguineæ ferox
Discordiæ Arcus, quem violentior
Lunauit infelice voto
Ambitio, tumidisq; nuper
Inflata Spebus, candidior niue
Ille ille nuper fulminis impiger
Minister Ales, purpuratis
Erubuit sua damna pennis.
At Fata Lechus mox bene prosperis
Emendat armis, sanguine diluit
Ferroq; probra: stat ruinis,
Casibus, excidiisq; crescit.
Dispone Victor, non minor Hercule
Post bella mensas; Herculeos tibi
Pax ipsa cum Scyphos propinat
Vina nouis redimito lauris

Quis tantam tam breui Poloniæ pacem Casusué Deusué attulerit, si quæris posteritas? primũ ante omnes GLADIVS DOMINI & CASIMIRI, huic trophæa sacrat omnia grata Sarmatia: tum & Ducum ac Heroum, Vni cælo, Religioni, Famæ, Libertati, Stipendiaria arma Polonorum. Incidemus breui, cælo auspice, emerita istorum omnium, Polonæ in Arce Famæ, Nomina. Interim, totam distinent atq; occupant Eloquentiã nostram,

ſtram, Veſtra ILLVSTRISSIMI LESZCZYNII, Veſtræ in CAPITOLIO Gloriæ recèns adiecta virtutum, meritorumque ſimulacra. Grauiſſimũ Stemmatis Veſtri CAPVT Sueticæ toties Sapientiæ, Leonem Leoni, ferro gladium obiecit Polonia. Nodum Gentilitij Inſignis Veſtri Gordio quouis expertus eſt fortiorem, dum quicunq;, inſolentiùs ſe efferēte audaciâ, inſaniret, vel ſtrenuæ Manus, vel Sapientiſſimi CAPITIS veſtri vinculis cōſtrictus fuit. Nā quid ego hîc INCISORIS REGNI, auitâ ſuaque luce Illuſtriſſimi, æternas quâ parte incidam laudes? Quis Te ardua ſuper Famæ Capitolia alatus attollat Pegaſus Illuſtriſſime Heroum Sanguis, DERPATENSIS CASTELLANIDES? Sed Te ſublimiùs Tua virtus effert Martia, Tuus, ipſo Te Seſſore tanto, tantò audacior animoſiorque quadrupes, calcatos, protritosq; ad Arcē Gloriæ vehit per hoſtes, ferro Tuo deiecta barbarorum capita, Tuam diſertiùs muta loquuntur fortitudinem; quàm diſertiſſimorum Voces Oratorum, ita nobiliſſimus ipſe Tuarum actor ſimul es, Ororq; virtutum, qui IN ORE GLADII tantùm facundiæ habes; vt fugam hoſti, triumphos perſuadeas Tuis, minusq; calamis noſtris egeas; qui hoſtili copioſiùs ſanguine laudes Tuas ſcribis. Quid PALATINOS LESZCZYNIANÆ DOMVS, immò & Regni ſidera, Scipiones Patriæ, Lumina Reipublicæ, quibus orationis exornem luminibus, qui triſtiorem nuper in Sarmatia noctem, iam liberali auro, iam forti ferro, iam aureis illuſtrauêre, Lucemq;

 Patriæ

Patriæ, Luci Patriam reddidêre consilijs? Quæ illa POSNANIENSIS PALATINI decora? qui splẽdores Legationum? qui triumphi Eloquentiæ, clauso vagina ense, solo styli acumine victorias animoso hosti, aut ex spe superba, aut ipsis etiã planè è manibus eripiẽtis? Quod PALATINI LENCZYCIENSIS in Patriam studium, in hostem animus, in omnes Comitas? Nam Militaris quidem Tua Gloria, non vicinas tantùm Silesiæ, sed attonitæ etiam Germaniæ remotiores impleuit aures: iuit à Tuo nõ chalybe magìs quàm generosâ audaciâ armato pectore resultans Nominis Tui Echo, & centum TE latè distulit per Populi Ducumq; ora, ac Procerum linguis; auditus armorum fragor Tuorum. Famæ ego potiùs illas crediderim, quã Tuas fuisse TVBAS, quibus ita animasti Tuos; vt exanimares hostem, Boleslaueciaque arce depelleres. Siste calame, scilicet verò eius tu attẽtes elogia, cui armata Pallas hastæ acumine, suas melius in arce hostili erepta, Æternitati inscripsit panegyres. Sileat Melpomenes Tuba, cuius victorias vocalior Bellonæ Tuba sonat. Tibi quidem distinctas à PRINCIPE moliri laudes necquidquam opus, ILLVSTRISSIME CASTELLANE SREMENSIS, ad totas TE suas Alterũ SE ILLVSTRISSIMVS admittit PRINCEPS, qui easdẽ propè ac tantùm non replicatas amat in TE SE digno FRATRE, æstimatque virtutes. Singulis Vobis Libri sacrandi singuli: immò integræ gestis vestris Historiæ implendæ essent; nisi longè pulchriùs Elogia Vestra, in Vno PRINCIPE pulcherrimo

velut

velut in Compendio legerentur. Quare neque Te Tuis longiùs morabor laudibus non factis minùs eloquentem, quàm Verbis ILLVSTRISSIME PROCANCELLARIE BOGVSLAE LESZCZYNSKI, qui quâ dexteritate, prudentiâ, meritis, Thesauri Claues tractaueris, dum in his ad SIGILLVM TIBI & nouos Honores aperuisti, probasti. Nota Poloniæ Sapientia Tua, cicurabis hanc AQVILAM in vsum Polonæ gloriæ, quæ feliciter manibus Tuis insedit. Vt Pliniana illa floribus tantùm educatur Aquila; sic prædam huius, auguror, futuram, florentissima bene vel in Curia, vel in Castris meritorum REGI præsentare merita. Assequentur boni omnes fortunatæ huius Aquilæ venatu Honorum præmia. ornabitur rursum melioribus plumis, & quibus nudata est, iterum se pinget coloribus. euolabit altius, quæ tot hactenus sauciata telis, alas demiserat. Neque verò ita TV SIGILLVM in manus sumis; vt gladij quoq;, cui Tuum assuetum latus, oblitus, vel proprio cruore, si ita Mars iubeat, non sis hanc Aquilam purpuraturus. Tot magnæ virtutes Tuæ obsides sunt in Polonia, futurarum: & qualem TE iam Lechicus expertus Orbis: talem, id est, Magno Sanguini, sibiq; similem experietur. Impendes eos Poloniæ neruos, quos iam antè contra Suecum cũ neruo belli impendisti. At TV, ante alios Felicitatis istius pars magna immò princeps es PRINCEPS ILLVSTRISSIME, pridem iam vel TVI grauitate vultus didicisti maris castigare leuitatem. Meminit Patria cum in Gallijs Gallicus planè

 Hercu-

Hercules, aureis Oris Tui catenis, iam tum totam vinxisti Galliam, cùm VLADISLAO, quem parem suo imperio habuit Polonia, Reginam Serenissimam illigâsti: Aluerint olim suam Troiani Oratores, vt dulciùs loquerentur, Lilijs facundiã. Tu Gallica inter Lilia, Orator planè florentissimus, dum Tibi Herbam tota porrexit Gallia, id est, MARIAM, ipso nomine florentissimam. Sed enim infidele hospitium Mare, tam pretioso vix suscepto deposito, fluctibus minari cæperat. an exhilarata tantorum præsentiâ hospitum exiliebant æquora? an futurarum conscia nuptiarum FLVMINA plaudebant manu, & festiuis tripudiantis Poloniæ iam præludebant choreis? At rarò sine nauigantium lacrymis salit insanum mare. iam humida Mors irrepebat in Nauẽ, sed ipsa MARIANI Nominis vmbra satis erat ad salutem, ad puniẽdam freti petulantiam, Tuus satis vel aspectus. Ita nimirum nuperis etiam procellis surgentibus, & Suecicus ad modestiam, quòd se composuerit Pontus, modestiam nisi vererer vulnerare Tuam, dicerem, quod sentio liberè: dicam tamen. cum Tuos, lacrymis pæne naufragos, ostendisti cælo vultus, Tu vel maximè à naufragio Poloniam, ab importunis hospitibus, hostibus inquam, Arces & palatia liberasti. Cessit hostis, ne caderet, maluitque occupatis ex Arcibus cedere, quàm è vita, & iniquus possessor, suis Dominis, alienas reliquit, inglorius extorris ædes.

Nam

Nam, quæ innocentûm nata cruoribus,
Et rapta fædis laurea fraudibus
Irrepsit in Sceptrum, caduco
Flore viret; neq; longa iniquo
Excisa ferro viuit adorea:
Nexusquè palmarum, aufugiunt datæ
Pacisquè, subscriptiquè pacti
Immemorem, fideiq; dextram.
Auara quicquid, diripuit manus;
Auara rursum restituet: redit
Pœna in nocentes: sæpe, rapta,
Ad dominos rediêre priscos.
Pæne occupatis, fugit ab arcibus
Suecus, Polonus redditùr ædibus.
Vittate PRINCEPS, *infulatam*
Magnus adis, habitator Aulam:
Vt tæniati sponte palatij
Valuæ recedunt! æthere faustitas
Vt gaudiorum cincta læto
Deproperat, decorumq; serto!
LESZCZYNIANÆ *Magnificentia*
Altè vt triumphat Gentis, in essedum
Subuecta Famæ! Purpurati
Agmen agunt titulorum. At omnes
Extinguit ignes, nube modestiæ
Suoq; diues, maior honoribus
Totaquè maiestate PRINCEPS
Diuitias pretiosiores,
Se infert. Auitæ ô Sidus Adoreæ,
Quis Te? sereni quis capitis iubar?
Cerasquè stellantes, quis alti
Sanguinis, ingenijquè venas,
Exuberantis Munificentiæ,
Quis sparsa latè dona, meridiem
Quis iræ inexpertâ sedentem
Fronte, superciliiq; cassâ;
Quis æstuantes pectoris ignei
Faces, & Aris testibus additos
Imbres, inexhaustasquè Magnæ
Mentis opes, animiquè census,

Procul per Aulas & Procerum atria
Et Regiarum culmina turrium
Denarret; ac ÆTERNITATEM
Erudiat TVA, PRÆSVL, *Acta?*
Ter Sistra Phœbus, ter Tibi tinnulum
Intendit aurum, ter iaculo TVA
Incidit aurato, cedrisq;
Nomina, Apollineisq; saxis
Ter, viue Regni COR, AMOR *Ætheris,*
Dixére Cæli, ter Lechicus polo
Respondit Orbis; Viue, Regni
COR, AMOR *ætheris, & triumpha.*
Auditis? ô quæ, prætereuntium,
Aures salutant, nablia Nubium!
Portenta Cæli! mota cantu,
Ad choreas, teretemq; circum
Dum iuncta dextris, subsilientium
Eunt in orbem, saltibus, ô Tuum
Vt ritè, VENCESLAE, *doctis*
Sidera composuêre Nomen!
Ergo orba nuper Patre palatia,
Et vsta flammis marmora barbaris,
Ridete: Vos nigrata fumo,
Aureus irradiabit Hospes.

Talem Te accipient, iam Hospite tanto augustiora, iam opulentiora Palatia, PRINCEPS Illustrissime, in quibus, vt omnia splendidissima sint, nihil tamen, Domino ipso splendidius, cui non Auorũ tantùm imagines, sed virtutum magìs sanctissima colere simulacra solenne est. Quanquam, quo vultu illæ magìs pingantur, quam TVO? Assurgite tãto Hospiti Tiaratæ Arces, non se, vnum infert ille Vobis, infert omnes velut in nobile Compendiũ actos, atq; in se vno collectos LESZCZYNIOS, ac illum ante alios, cuius in Virtutes pariter Titulosque succedit. Nimirũ ad prodigiosas Virtutes eius

acce-

accedere ſolùm potuit; vt Archipræſuleos etiam Cineres animaret permiſtâ luctibus arenâ præſepultos. idem iterum ſanguis, idem VRVS Senatorius, eodem effulget in Solio. ita totum à nobis abijſſe illum vix credo, cum hic ſuccedit. Propè eſt, vt exclamem

Mira cano. Sol occubuit; Nox nulla Secuta.

Per ipſa damna creſcitis, Caſibus ſtatis, Illuſtriſſimi LESZCZYNII. O Domum florentiſſimam, atque aureæ illi æmulam Arbori, vbi,

Primo auulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit Virga metallo

Falce nuper ferali præciſum CAPVT, auro rurſum accenditur, ac Vitæ Vittisq; redditur. Agnoſco rediuiuo in CAPITE, rediuiuæ Polonæ Felicitatis imaginem. hæc etiam cum iam ad buſta frigentia deſijſſe, & exangues tumulos videretur, cum ab hoſte, hauſto tanto ſuo ſanguine, impalluiſſet, in occaſu ſuo ſpargit radios, rurſumq; pæne ipſa ab vrna viuit. Hoc Polonum, hoc LESZCZYNIANVM eſt. Cupreſſus ipſas in laurus vertere, & à ſepulcralibus tædis, ferè iam emortualis Gloriæ iubar accendere. Quare, lætiora vt deſint Regno auguria, ex Veſtro Vno CAPITE, ex TE Vno Illuſtriſſime PRINCEPS fauſta omnia capit omina. Iam enim placatos ſibi DIVOS ſenſit Cælites, cum Nobiliſſimum Munus, id eſt, Optimum, & Deo ſimillimum, PRINCIPEM TE receperit. Profectò, vt irati ætheris certiſſimum eſt argumentum, ſi improbos, velut Cometas in ſublime euectos,

 ſupra

ſupra cæterorum attollat Capita: ita quoties iraſci (iraſci diu neſcia, Sanctior illa Curia,) deſierit mortalibus Optimos, hoc eſt, Tui quàm ſimillimos in, celſiſſima dignitatum ſubuehat faſtigia. Tuas profectò PRINCEPS Archipræſul, tota Patria, nō aliter intuetur Infulas, quàm diuinitùs ſibi tot inter fluctus oſtenſas Inſulas, & Bonæ Spei Promontorium. Hoc ex Virtutibus Tuis haurit Oraculū, quæ Te adornauerunt Infulis, immò quibus TV adornaſti Infulas. Nam cùm magnis meritis Veſtris Magni PRINCIPES, non aliter latere, quàm Soli liceat, iam conſpectiores tanto in CAPITE, iā altiores eſſe Tiaras neceſſum eſt. Alij fortaſſe alibi, quò ſublimius ſubuehuntur; tantò apparēt Minores. nam & Cælorum Aſtrorumque, hæc, ſi fas loqui, infelicitas eſt, quòd in altum, ſubuecta, à nobis tantilla videntur. Dux ipſe luminum, Lunæ Orbe apparet anguſtior, quia decurrit altior; at TVÆ TECVM creuêre Virtutes, atque in Celſo Solio, emicant celſiores. nempe nunquam altior PRINCEPS, quàm cùm ad infimos ſubditorum, totam Solij demittit amplitudinem, vt viles etiam plebeiæque animæ, eò poſſint adrepere: nec ex alta dignitatum arce minores deſpicit cliuos, ſed ex alta mentis ſpecula, in quos aurea miſſilia iaculetur, obſeruat. Sæpe, alios, indignos dignitatibus Honor inuenit, alios facit; & rexiſſe digni pleriq; niſi rexiſſent, plerique tales ante purpuram, vt præeſſe non mererentur, tales in purpura; vt mererentur non præeſſe: In Te omnia eadem poſt

redi-

redimitum Nouis Infulis CAPVT, niſi quod etiã ampliora. COMITEM Te & ex Comitibus natum iam ante memineras, vt nunquam ſolitariè, nunquam ampliſſimo ſine comitatu incederent VIRTUTES TVÆ? nunc PRIMVS PRINCEPS, tantò numeroſiore Virtutum Meritorumq; Coronâ ſtipatus incedis. Patebat ſemper Aula Tua, ijs quibus, Curia pauperibus clauſa eſt? patet nunc latiùs Si quem deiiciebat in genua, (quem autem non deijceret? diuinæ vicina Maieſtas Tua) eam cõtinuo attollebat atq; erigebat humana maior humanitas? erigit atq; attollit. Nunquam Vos, ô vicina Cælo Nomina; terrarum Vos Numina magìs probatis, quàm cum hominibus, humanos Vos oſtenditis! quæ illa, quàm diuina humanitas Tua PRINCEPS Illuſtriſſime, qui ne vota Tuorum differres, & gaudia, inter ipſa Te funera inferre properaſti: cum feretrum attolleret vbique, & ſepulcro, ſuper, & cumulis exſtinctorum Mors ſuperba triumpharet, Tu humeris circumfuſæ Nobilitatis illatus es, cum tot exſtinguebat Atropos vrbis faces, tum Illuſtriſſimus, inter vmbras apparuiſti: tum atratum VRI CAPVT, (colorem hunc à Regiæ Mentis interpretibus Calamis toties tractatis atq; à ſepia traxit) concolor nempe atratis pullatiſq; fatis oſtẽdiſti, properaſti; vt voce, quâ & auram conſecras, peſtem difflares, tot irradiaſti ſplendoribus; cæcã vt mortem vmbraſq; depelleres Tuâ Luce. Iure Te vel extremo anhelitu, nempe Vitam Suã, ſubditi anhelabant. iure ſe nunc in noui ac benefici

aspectum sui sideris effundunt omnes. ac fata iam alij ad se inuitant, satis se vixisse rati, & postquam Te vidêre Solem suum, communem hunc fastidiunt: alij tum primùm longissimos vitæ annos, tum primùm vel Argi optant oculos, vt Te bono suo, bono Patriæ, exortum Astrum, quàm diutissimè contemplentur. O felicem Annum, quem à Tuis bene auspicatum inchoamus triumphis! mediam inter hiemem, optimus quisque, Tui amoribus incalescit. Niuem ipsam, argenteas sibi abijsse in Rosas, cana credit in Lilia. instar veris enim Vultus Tuus affulsit Patriæ. & hæc ipsa ætatis, cano meritis, Capiti Tuo aspersa bruma, Rosis gratiùs ligustrisque efflorescit. O felicem Ianuarium, in quo nec Aprilem desideramus, qui omnis Felicitatis, omnem gaudiorum ianuam nobis aperuit! O quàm læto omine Cælestis signũ Aquarij Sol ingreditur! augurium habemus in manibus, omnem nobis Te PRINCIPE, æther impluet ac propinabit Felicitatem. At enim vt per confertos Senatorum ordines, egenorum ad Te tot prorepunt examina! vt vmbræ illæ, audenter TVOS inter splendores versantur! agnoscunt nempe, sibi exortum Numen, nec tantum iam Magnum SACERDOTEM, sed vnicam repertam fortunis suis ARAM, id est; perfugium ac Solatium commune omnibus. Cæcam mihi ampliùs ne fingite fortunam Vates. neq; illa proijcit tantùm beneficia sua, sed & nouit locare. locauit prudenter tanta Munera, ac tuum, plenâ manu, non temerè congessit

in si-

in ſinum. Ille nimirum es, qui in pedibus etiam, aures habere videris. ita ad benefacta velox es. Nihil habet, nec Fortuna Tua maius quàm vt poſſis; nec natura meliùs, quàm vt velis plurima largiri quàm plurimis. Iure Fortunatiſſimus es inter Optimos, quia Optimus inter fortunatiſſimos. O Diuinam Virtutem Tuam, cum Tibi tot Fortuna facultates dederit, non aliter illis, quàm quantùm per Cæli Superûmq; leges licèt, vteris! Rarus alioqui hoſpes, in Magnæ Fortunæ Domo Magna Pietas, apud Te regit Aulam, & Claues tenet. Tu Tuis opibus Opem Patriæ, Templis, Caſtriſque præbes. Tu ornas Sacerdotes Aris, Sacerdotibus Aras. & quidquid alibi profano vſu deliquêre Nummi; pio per Te excuſant, atque in Tēplis veniam aſſequuntur delicti. Non pateris, vt ſub TE PRINCIPE, *clariùs calcaria fulgeant quàm Altaria.* Non pateris, vt ita ſuos miſeri patiātur Manes; quin Archipræſuleâ CRVCE Tuâ malam ab eis fortunam abigas. Tuum Aurum auram infirmis inſpirat meliorem. Tv ſuperbam ad Xenodochia, ad obſequia egenorum amandas Pecuniam. O quantum Famæ theſaurum colligis, dum nummos ſpargis! Plerique ſi quid erogauerint Pietati, dolent, ſe pecuniam, quia non perdiderunt, perdidiſſe. Tu PRINCEPS Illuſtriſſime, tum Tibi diem iam perditam putares, quâ non aliquis auro Tuo illuſtratus abiret. O vltrices Parcæ, rumpite Parcis vitæ ſtamina: at tam munifico PRINCIPI aurea extendite Secula. Securus ſit annorum qui

 pæne

pæne amoris respirat aurâ. vt sua, adhuc Polonis, *spoliatis arma supersunt*; ita & inopibus, quos inimica spoliauit Fortuna, Gentilitia ARMA supersunt, quibus aduersam Fortunæ tyrannidem vincant. Sciunt illi non solùm tutandæ Patriæ altiores CAPVT Vestrum cogitationes fouere; sed & pijssimos suæ protegendæ inopiæ cogitatus. Ignosce religioso candori Illustrissime ARCHIPRÆSVL, nunquam plures, quàm sub TE PRINCIPE gemunt, plurimorum exaudiuntur latè gemitus, qui pro Te suspirant cælo: è cuius salute sua depēdet Patriæq; vita. nam & huius vsibus aurum Tuū Teque impendis PRINCEPS AVREE. Vtinam ad Tui imitationem ferreæ eorum flecterentur mentes, qui sibi, qui Patriæ, aurea, cum emere possint secula; malunt ferrea. Si miserorum eos non miseret, Patriam suam saltem heredem sibi, Famāque scriberent. expedirent vtinam illos in argento Leones, Suecicos in Leones: opponerent vulturi Moschouitico, argēteas Aquilas, pharetratos in auro Equites, tanquam auxiliares submitterent copias; pridem iam & Leones & Vultures abegissent. Tua hæc Fortuna, Tua Gloria ô Illustrissime PRINCEPS, qui non egenos hoscé tantùm Cæli milites; sed simul, animos fortes, *& natos ad bella Polonos* munificâ manu fulcis. Quæ Tv iam nunc, Titulis etiam opibusque auctior, aurea in egenos missilia ipso Aquilarum è Nido, quæ in hostem torquebis *fulmina?* quæ ardentia ex Tuis Arcibus, ad Superos tela? vt viuidæ, vt semper

recen-

recentes, quia in Nido, adoleſcent atque euolabunt feliciter Virtutes Tuæ! adoleſcant atque euolent, ſed ſerò ad emeritum licèt tot Titulis immortalis GLORIÆ CAPITOLIVM, tardiùs ad nouas Æternitatis Tænias euocentur. Ita exhilarata TVIS Honoribus, & in ſpes altiores erecta Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ vouet Patria. Ita Infulata publici Conſilij CAPITA, quorum ſimiles (ignoſcite Tiarati Manes) neſcio, an tanto numero Sacra illa viderint vnquam ſubſellia? Alta in Pace, ipſa ſecum dimicat Polonia, Vrbeſque ac Oræ, de ſuorum excellentia ANTISTITVM contendunt, & ſuum quæque præfert alijs. certant de ſuis Præſulibus ſingulæ ſecum, mecum omnes. Vincat quæcunque aut vincatur, mea æquè omnibus ſe ſubmittit facundia; quia omnes vt ſummos veneror. Veritas tuam fidem! quot, hodie Præſules, tot Oracula Sapientiæ, tot viua Virtutum ſimulacra: vt vel hinc metiri liceat quantus ſis Illuſtriſſime ARCHIANTISTES, qui vel inter Maximos tamen Maximus es. Ita Tuis applaudit triumphis, & Cælo pro Te ſupplicat Perilluſtre CAPITVLVM, in quo quot cenſentur numero; totidem non annorum magìs quàm Sapientiæ adultarumque Virtutum aſperſa canitie Capita, pretioſæ velut gemmæ, Te Suam, immò Regni cingunt Coronam: velut ſtellarum examina Tuis irradianda fulgoribus ſuum Solem coronant: velut mellitos elaboraturæ Apes annos, fauum ſuum floremque ſtipant.

L Ita

Ita deniqúe (quanquam Tuis in laudibus non inuenitur hoc ipsum Deniqúe) Tibi Illustrissime PRINCEPS, Magno ARCHIPRÆSVLI Minima Rauensis Collegij Societas IESV maxima precatur à Deo Maximo, (quando Honorum iam non potest maiora) annorum meritorumq; incrementa. Ita ardentibus totius desiderijs Poloniæ, PRINCEPS PACIS

Annuat, & votis subscribant Astra secundis.

A. M. D. G.